

ab immortalium vocibus incessabiliter favoratur. Tempore igitur ottonis imperatoris qui vocatur, qui primus sueuorum regum italicis regni gubernanda dicitur suscepisse, cum archa iusta magnum pontum in arduo scopulo immineret, et a prefata sanctissima vidua eulalia nomine occulte cum vigiliis custodiretur adveniente desiderato die, iam properantibus noctibus tenebris, equoris fluctus preter solitos estivi temporis quod tunc erat moris, subito cepit intumescere, atque innundantibus voluminum procellis, nullo impellente noto versari, paulatimque ad ripe inferiora, quasi per quosdam gradus connexa pretendi, ita ut si plena mentis intelligentia illi inerti populo affluisset, proculdubio cognosceret ponti obedientiam ad suscipiendum sacri corporis honus leto humero suscepisse. Tumente itaque maris fluctu scopulosus ille vertex super quem archa consederat repentino fragore concrepuit. Evulsaque illius parte, superposito honori concessit, ut ex illusione silicis sanus a vicinis aliquibus audiretur. Qui cum ex fracture stridore attoniti ad rem cognoscendam, solertius occurrissent, Obstupefati mirabantur tam firmissime rupis molem sic repente nullis humanis ictibus crepuisse archam tamen saxeam quam viderant ad imam ruentem ibidem mansuram immobilemque propter grave pondus existimabant. Sed ut deus omnipotens cuius potestas nec humano consilio regitur, nec alieno arbitrio discutitur, illorum existimationem irritam dissipavit. Suum vero consilium quod manet in eternum, inevitabile demonstravit. Suscepit itaque fluctuantium aquarum tranquilla tempestas marmoree magnitudinis pondus. Non antennarum velis, non lignea carina submovendum, sed obedientium undarum placidis brachiis ad predestinata loca deferendum. O inexplicabilis potentia redemptoris, qui quociens iubet omnis creatura a sua natura dissolvitur, liquidum in arrida convertitur, in leves pennas quod est marmoreum permutatur. Ipse nimirum discipulis iugum inquit meum suave est, et onus meum leve. Dum enim rationabilis substantia illius parere annuit. Cur homo miserabilis substantia sui donatoris despiciens imperium non agnovit. Non equoris violentia hanc pii ponderis marmoream navim corrumpere inobediendo valebat, quam interior rectoris manus invisibili remigio dirigebat. Navis quippe hunis (humanis) gubernaculis, allata ea que infra se stant, a se tuenda custodit, ne pellagi vel aeris violentia corrumpantur.